

Sur l'Erection
du
Collège philosophique de Louvain.

Les Elèves de Poésie de l'Athénée de Luxembourg.

Professeur Mr. BARREAU.

NUPER ego errabam tacitus per amoena vireta,
Multa movens animis; agitansque hæc talia mecum:
Heu quanti miscent humana negotia motus!
Quis furor insanus! Quid non mortalia cogis
Pectora, sanctarum male nota scientia rerum,
Et quanto exagitas terrestria regna tumultu!
Vera Dei pietas ex omnibus una perennis,
Una valet cunctos terræ placare tumultus,
Unaque et illa hominum moerentia pectora mulcet.

Dum loquor, ecce mihi, superas demissa per auras,
Religio coelestis adest, claroque refulget
Lumine. Longa pedes vestis defluxit ad imos
Ex humeris; frontem niveo velamine cincta.
Ingemit, ad coelos ardentia lumina tendens.

Dextera diva crucem gestabat, nobile lignum,
Quo Christus peccata luens hominum expiravit.
Atque sinistra autem speculum tenet undique fulgens,
Unde repercussâ pinguntur imagine, terris
Magno quæquæ agitant mortalia corda tumultu.

Obstupui, et genibus procumbens numen adoro.
Salve sancta parens hominum, sanctissima salve
Relligio! tua mens tanto quid pressa dolore?
An jam summa dies et incluctabile tempus,
Quo, si non cecinit Christus mendacia verba,
Te procul ingrato pulsabunt limite gentes?
Fare age: quidquid id est, quæ causa indigna serenos
Foedavit vultus? Non quærentem illa moratur.
Sed speculum ostendens vidi, (mirabile dictu!)

Undique collectos homines, magnamque catervam
In sacram sedem, nullo quæ tempore terris
Maxima adhuc steterat, vanos glomerare furores.
Adversi veluti rupto cum turbine venti
Flatibus excelsam certant evertere quercum.
Illa hæret scopulis, atque imperterrita firmans
Robora, stridorem tempestatumque furores
Despicit, et placidum caput inter nubila condit.

Hei mihi! Mortales animos quæ suscitât ira?
Impia quæ rabies? Quæ tanti causa furoris?
Illa gemens ita moerenti de pectore fatur.
Maximus unus erat rex, servantissimus æqui.
Ille mihi in regno sanctas sacraverat ædes,
Virtutis sedem, quâ relligiosa juvenus

Fœcundos peragens studiis melioribus annos,
Assiduo soles agitaret docta labore.

Ecce autem irarum volvens sub pectore fluctus
Invidia attollit caput, atro sibilat ore,
Consiliumque suo foedat regale veneno.
Haud que indigna soror sacrorum ficta cupido,
Furtim induta meam falsâ sub imagine formam,
Et mentita meos vano sub pectore sensus,
Vocibus ambiguis certant evertere sedes.
Hinc mihi tot lacrymas, largosque effundere fletus;
Inde mihi tanti justissima causa doloris,
Si videam usque meos sævis concurrere telis.

Ast ego, divino cum talia reddidit ore :
Heu vanas hominum mentes! heu impia corda!

Tuta erit usquè adeò nusquàm gratissima virtus!
 Nec fortem sua quemque valent pia facta tueri!
 Anne homines tantos gestant in corde furores,
 Diva parens! Tantæ ne piis in cordibus iræ!
 Anne nova impietas sternet fastigia tecti?
 An tanta evertet sapientis munera regis?
 Et non incolumis stabit laus inclyta sedis?
 Fas mihi sollicito venturos noscere casus.

Relligio dulces promens de pectore voces:
 Jam procul a nobis fluit illa vetustior ætas,
 Quâ sine honore aluit dejectas Belgica mentes;
 Namque Deus nondum insolito lustraverat orbem
 Sydere Nassivicùm: sed nunc quia fulget amicum,
 Sed quia nunc regimur præclari numine regis,

Imperio cuius colitur tutissima virtus,
Artes que ingenuæ summo servantur honore;
Tùm demùm impietas altè compressa quiescet,
Et procul atque procul cuncto dejecta recessu,
Claras effugiet longè ignorantia mentes.
Quam dedit ille mihi sedes ea firma manebit.
Quanta illam maneant fas est tibi noscere fata.

Ecce intùs longa apparent penetralia sedis.
Quot volitare vides, flammâ bacchante, favillas,
Aut flanti Boreâ densos ad littora fluctus
Currere; discipulos longo sic ordine cernas,
Qui patrias sedes qui dulcia rura relinquunt,
Si magni valeant tanto uti munere regis.
Ille studet sanctæ Christi vitæ. Æmula virtus

Ponè Deum sequitur, longo licet intervallo.
Ille autem veterum perlustrat scripta virorum,
Nocturnosque libros versat, versatque diurnos,
Ut populos lustrare queat, tenebrasque fugare,
Et sanctæ se se vitæ præbere magistrum.

Adstantesque viros ipsa intrâ moenia cerno
Exemplo et verbis juvenilia corda regentes,
Quos, notâ virtute, pii legère ministri,
Et foecunda viris misit Luxburgia tellus.
Indè favente Deo longus jam nascitur ordo
Doctorum; sancto digni qui sacra per aras
Ore canant, purâ numen qui mente celebrent,
Et dudùm obliti revocent miracula Christi.

Eia agite, ingenuo cives applaudite regi.

Officii memores ad sydera tollite voces.
Belgarum musæ manibus date lilia plenis,
Et regem celebrate mari terrâque potentem.
Tu pater intereâ dolci nos respice vultu,
Atque tuo jubeas populos confidere regno.
Dùm sol assiduo lustrabit tempora curru,
Indorum Batavi dum scindent navibus æquor,
Atque tui stabit virtus intacta leonis,
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt,
Et populorum inter plaudentùm vota senesces.

Prix: 25 cents.

CHEZ SCHMIT-BRUCK, Imprimeur-Libraire de l'Athénée.
Au profit des pauvres de la ville.